



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 96. Ordinum comitia Meldis indicta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul. XVI  
A C 1560.

„coiverunt, qui potius admonitione ad  
„officium reduci, quam vi cogi debere  
„videntur: in eam rem, si quid pro-  
„ficere possem, vitam libenter profunde-  
„rem. Denique Episcopi, ac Parochi  
„in id incumbere debent, ut præsentia  
„sua præteriti temporis jacturam in po-  
„sterum sarciant: Præfecti item Provin-  
„ciarum ad munia sua exequenda adi-  
„gantur: cum vero tantum de disciplina,  
„ac corruptis moribus agatur, minime  
„videtur necessarium, ut Concilium uni-  
„versum, aut nationale congregetur,  
„si tamen eo opus fuerit, Episcopis, ac  
„Parochis mandandum, ut notatis er-  
„roribus, qui corrigi debent, Regem  
„intra duorum mensium spatium mo-  
„neant.,,

## §. XCVI.

*Ordinum comitia Meldis indidta.*

Thuan. l. 6.  
Pallav. l. 14.  
c. 12. n. 13.

Postmodum ceteri Optimates, ac præ-  
cipue Ordinis S. Michaelis Equites  
se in Cardinalis sententiam ire asser-  
bant: quapropter Rex, & Regina ejus  
Mater gratis universo confessui actis  
congregatos valere jusserunt, seque eo-  
rum consilium sequi paratos profiteban-  
tur, ac re ipsa die vigesima sexta Augusti  
edito decreto sanciebant, ut proxima  
die decima Mensis Decembris in Mel-  
dorum civitate Regni comitia haberen-  
tur,



tur, eo fine, ut Episcopi ad locum brevi assignandum convenirent, ac ibi, si Pontifex nimia cunctatione Concilii universalis spem præcideret, de nationalis Synodi celebrandæ ratione inter se communi consilio deliberarent: interea vero præcipiebatur, ut in neminem ob Religionis diversitatem inquiratur, necnon supplicia differantur: in eos tamen, qui plebem seditionibus, Regnumque armis turbarunt, Regis, ac Magistratum auctoritas salva permetteretur. Attamen ex hoc edicto duplex oriebatur malum Religioni, regnoque oppido funestum, quorum primum erat, quod Nobiles, qui hucusque nonnisi clam Calvinistarum hæresi adhærebant, jam nunc hanc sectam publice profiterentur, suoque exemplo ex suis amicis, & vasallis quamplurimos ad eadem studia pertraherent. Alterum erat, quod illi, qui pœnæ metu sese Ambasianæ conjurationis confcios fateri, minime audebant, nunc crimen suum palam faterentur, unde ex maximo horum numero Guisii Principes tanto terrore percelebantur, ut suæ securitati haud satis consultum arbitrarentur, nisi in omnes Provincias militum agmina emitterent, eaque ita per Præfecturas distribuerent, ut ad primos tumultuum rumores Gubernatores alias suspecti quantocius opprimi possent,



Secul. XVI. possent, antequam sese majori numero  
 A. C. 1560. aliis conjungendi, aut quid moliendi  
 spatium nanciscerentur.

## §. XCVII.

*Pontifex Nationali Concilio Gallico  
 oblutatus.*

Postquam rumor de Nationali Synodo  
 in Galliis celebranda Romam de-  
 ferebatur, inde summus Pontifex haud  
 parum commotus Oecumenicum Con-  
 cilium convocare statuit; verum haud  
 difficulter deprehendebatur, quod id  
 nonnisi invitus fecisset, ac lubentius alia  
 ratione ejusmodi concilium impediri  
 voluisset; nihilominus ad indicendam  
 Synodum compellebatur, eoquod Fran-  
 ciæ Orator, qui tum Romæ agebat, ei-  
 dem exposuisset, quod Galliarum Rex  
 Regni Præsules in unum cœtum con-  
 vocare decreverit, cum aliud remedium  
 præter Nationalem Synodum malo ni-  
 mium invalescenti haud amplius opponi  
 posset: Verum ejusmodi conventum æ-  
 gerrime ferebat Pontifex, quapropter  
 vehementer coram Legato querebatur  
 contra Regem, quod is omnium adver-  
 sus Religionem impie perpetratorum ve-  
 niam, gratiamque fecisset, & quidem  
 illis etiam, qui nequidem eam deposce-  
 bant, tandem vero Papa in hæc verba  
 prorupit. „Equis Rex potest crimina  
 con-